

Vixit Moses, vivitjam Deo, beatus et gloriosus in aeternum; ita vivamus et nos. Anima nostra aeterna est; in aeternum vivet, vel beate vel misere. Vive aeternitati, certa patere aeternitati. Jacis hic aleam, aleam irrevocabilem de aeternitate. O chara aeternitas! aeterna veritas, vera charitas, Deus meus et omnia, aperi oculos nostros, amore à nobis stuporem hominum, ut cognoscamus quid sit, quam immensa, quam felix vel misera sit aeternitas. Creasti nos ad te, creasti nos ad aeternitatem, quia tu es aeternitas, tu ex aeternitatis nos participes facere voluisti, jussisti, sanxisti. Nam lux perpetua lucebit sanctis tuis, Domine, et aeternitas temporum.

DOXOLOGIA DEI LEGISLATORIS, EJUSQUE CONCIO EX DEUTERONOMIO.

Misericordias et sanctificationes Domini in aeternum cantabo.

Audi, Israel, magnalia, audi misericordias; audi, etamina mandata Dei tui.

Ut faciens ea vivas, et possideas terram, quam Deus daturus est tibi.

Hæc est enim tua sapientia, ut dicant: En populus sapiens, et intelligens, gens magna.

Nec est alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris.

Quæ est enim alia gens sic inclya, ut habeat caeremonias, justaque judicia, et legem Dei?

Interroga de diebus antiquis si unquam factum est, ut audiret populus vocem Dei loquentis de medio ignis, sicut tu audisti.

Si fecit Deus, ut tolleret sibi gentem de medio nationum, per tot signa et portenta, per pugnas, et manum robustam.

De celo te fecit audire vocem suam, quia dilexit patres tuos, et semen eorum.

Scito ergo, quod Dominus ipse est Deus in celo sursum, et in terrâ deorsum, et non est alius.

Testes invoco caelum et terram, citò vos perituros, si Deum ad iram provocetis; Deus enim tuus ignis consumens est, Deus zelotes.

Audi, Israel: Dominus Deus noster, Deus tuus est.

Diliges eum ex toto corde tuo, et ex totâ animâ tuâ, et ex totâ fortitudine tuâ.

Hæc meditaberis sedens in domo, ambulans

in itinere; dormiens atque consurgens; ut sis populus sanctus Domino.

Te elegit Dominus, ut sis ei populus peculiaris de cunctis gentibus, regale sacerdotium, gens sancta.

Non inibis cum gentibus fœdus, nec sociabis cum eis conjugia.

Si custodieris pactum, et legem Dei, benedictus eris inter omnes populos.

Non erit in te sterilis, auferet Dominus à te omnem languorem; devorabis omnes inimicos.

Deduxit te Dominus quadraginta annis per desertum terribile; in quo erat scorpio, dipsas, et serpens flatu adurens.

Dedit tibi manna, ut ostenderet, quod non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.

Nec pes, nec calceus tuus est subtritus; ex quadragiesimo annis est.

Inducet te in terram lactis et mellis; terram frumenti, hordei et vini.

Non propter justitias tuas inducet te; sed ut compleat juramenta, quæ dedit Abraham, Isaac et Jacob.

Ne tentes Deum, sicuti fecisti in incendio, in tentatione, et in sepulchris concupiscentiæ, quia populus dure cervicis es.

Circumcidite præputium cordis vestri; et cervicem vestram ne induretis amplius.

Et nunc, Israel, quid Dominus tuus petit à te, nisi ut timeas eum, et ambules in viis ejus, ac diligas eum, et servias ei in toto corde?

ÆTERNITAS.

O longa, o profunda, o abyssalis, o aeterna
ÆTERNITAS!

Beati qui habitant in domo tuâ, Domine, in montibus æternis! in secula seculorum laudabunt te.

En Domini Dei tui est caelum, et caelum celi; terra, et omnia quæ in eâ sunt.

Ipsè est laus tua, et Deus tuus, qui fecit tibi hæc magnalia, et terribilia, quæ viderunt oculi tui.

Multiplicavit te sicut astra celi, et sicut arenam quæ est in litore maris.

Duxit te siccò pede per mare Rubrum; Pharaonem et Ægyptios in eo demersit.

En morior: propono vobis hodiè benedictionem et maledictionem; benedictionem, si obedieritis; maledictionem, si non obedieritis mandatis Domini.

Quod præcipio tibi, hoc tantum facito; nec addas quidquam, nec minuas.

Si surrexit pseudopropheta dicens: Sequamur deos alienos, illicò lapidibus obrues eum. Urbem delebis, usque ad pecora; quidquid in eâ est, igne succendes.

Non apparebis ante Dominum vacuus; sed offers juxta benedictionem quam dederit tibi.

In judicio non accipies personam, nec munera quæ excæcant oculos sapientum, et mutant veris justorum.

Si difficile et ambiguum apud te fuerit judicium, venies ad sacerdotes levitici generis, et facies quæcumque dixerint tibi.

Qui superbierit, notens obedire sacerdotis imperio, et decreto judicis, morte moriatur.

Prophetam de gente tuâ suscitabit tibi Dominus; ipsum, ut me, audies.

Si exieris ad bellum, ne timeas, quia Dominus in medio tut est, et pro te dimicabit; tantum custodias te ab omni re malâ.

Maledictus omnis qui pendet in ligno! cur ergo, o Christe, dignatus es pro nobis in cruce fieri maledictum?

Primitias frugum dabis Domino, dicens: Profiteor hodiè coram Domino, quod ipse nobis dederit terram lacte et melle manantem.

Dominum elegisti hodiè, ut sit tibi Deus; custodi ergo mandata et judicia illius.

Benedictus qui facit præcepta et justitias Domini; benedicta domus, et horrea ejus.

Si ad cardines celi fueris dissipatus, inde te retrahet Dominus.

Maledictus qui non permanet in sermonibus legis Dei, nec eos opere perficit.

Maledictus in civitate, maledictus in agro, maledictus ingrediens et egrediens.

Sit caelum quod super te est, æneum; et terra, quam calcas, ferrea.

Det Dominus imbrem terræ tuæ pulverem;

et tradat te hostibus, et cadaver tuum volatilibus caeli.

Percutiat te ulcere Ægypti, amentia, cecitate, et furore mentis.

Det tibi cor pavidum, et deficiens; sit vita tua quasi pendens ante te.

Manè dicas: Quis det mihi vesperum? et vesperè: Quis mihi det mane?

Et dicent omnes gentes: Quare sic fecit Dominus terræ huic? quæ est hæc ira furoris ejus immensa?

Et respondebunt: Quia dereliquerunt pactum Domini, quod pepigit cum patribus eorum in flore.

Abscondita Domino Deo nostro, quæ manifesta sunt nobis, et filiis nostris, usque in sempiternum.

Mandatum quod ego præcipio tibi hodiè, non est supra te, ut dicas: Quis nostrum valet ad caelum ascendere, ut deferat illud ad nos?

Neque trans mare positum, ut causeris: Quis è nobis transfretabit mare, ut illud ad nos afferat?

Juxta est sermo valde in ore tuo; et in corde tuo, ut facias illum.

Considera, quod hodiè proposuerim in conspectu tuo vitam et bonum; et è contrario mortem et malum.

Elige ergo vitam, ut et tu vivas, et semen tuum; dilige Deum, ipse est enim vita tua, et longitudo dierum tuorum.

Viriliter age, et confortare, ne timeas hostes: Deus est ductor tuus, ipse non derelinquet te.

Audite, caeli, quæ loquor; audiat terra verba oris mei.

Date magnificentiam Deo nostro: Dei perfecta sunt opera, et omnes viæ ejus judicia.

Peccaverunt ei non filii ejus; generatio prava atque perversa.

Hæcine reddis Domino, popule stulte et insipientis?

Numquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, et fecit et creavit te?

Quando dividet Altissimus gentes, constituit terminos populorum, juxta numerum filiorum Israel. Pars autem Domini populus ejus; Jacob funicularis hereditatis ejus.

Invenit eum in terrâ desertâ; in loco horris et vastæ solitudinis.

Circumduxit eum, et docuit; et custodivit quasi pupillam oculi sui.

Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, expandit alas suas; portavit eum in humeris suis.

Constituit eum super excelsam terram, ut sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo.

Incrassatus est dilectus, et recalcitravit; dereliquit Deum factorem suum, et recessit à Deo salutari suo.

Deum qui te genuit dereliquisti; oblitus es Domini creatoris tui.

Ignis succensus est in furore meo; ardebit usque ad inferni novissima, et montium fundamenta comburent.

Congregabo super eos mala, et sagittas meas complebo in eis.

Gens absque consilio est, et sine prudentia. Utinam saperent, et intelligerent, ac novissima providerent!

De vineâ Sodomorum vinea eorum; fel draconum vinum eorum, et venenum aspidum insanabile.

Mea est ultio, ego retribuam eis; juxta est dies perditionis, et adesse festinant tempora.

Inebriabo sagittas meas sanguine; et gladius meus devorabit carnes.

Laudate, gentes, populum ejus; quia sanguinem servorum suorum ulciscetur, et vindictam retribuet in hostes eorum.

Dominus de Sinâ venit, et de Seir ortus est nobis; apparuit de monte Plaran, et cum eo sanctorum millia.

In dexterâ illius ignea lex; omnes sancti in manu illius sunt.

Moses moriens benedixit Levi, dicens: Qui dixit patri suo, et matri suæ: Nescio vos; et fratribus: Ignoro illos.

Illi custodierunt pactum tuum, Domine; eloquium tuum servaverunt.

Ponent thymiama in furore tuo, et holocaustum super altare tuum.

Benedic, Domine, multitudinî ejus; et opera manuum ejus suscipe.

Populus vocabant ad montem; ibi immolabant victimas justitiæ.

Non est Deus alius, ut Deus rectissimî; ascensor cœli auxiliator tuus.

Magnificentia ejus discurrunt nubes; habitaculum ejus sursum, et subter brachia sempiterna.

Habitabit Israel confidenter in terrâ frumentî, olei et vini; et cœli caligabunt roræ.

Beatus es tu, Israel, popule, qui salvaris in Domino; ipse est scutum auxilii tui, et gladius gloriæ tuæ.

Negabunt te inimici tui; et tu eorum colla calcabis.

Ascendit Moses in montem Abarim, vidit terram Abraham et semini ejus promissam.

Mortuus est, nec cognovit homo sepulcrum ejus; non caligavit oculus ejus, nec dentes ejus moti sunt.

Non surrexit ei similis propheta in signis et portentis, qui nôset Dominum facie ad faciem.

Similem illum fecit in gloria sanctorum; ostendit illi gloriam suam.

In fide et lenitate ipsius sanctum fecit illum; et elegit eum ex omni carne.

Docere Jacob testamentum suum, et judicium sua Israel.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto; sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in secula seculorum. Amen.

Oratio et Conclusio.

Creator omnium, Deus, qui tuâ providentiâ cuncta gubernas, attingens à fine usque ad finem fortiter, et disponens omnia suaviter, quam sanctus et mirabilis fuisti in Mose, et Hebraeis, cunctisque operibus Pentateuchi! Spectavimus in Genesi, potentem tuam rerum omnium creationem; in Exodo, singularem erga tuos curam et providentiam; in Levitico, sacram tuam religionem, victimas et ceremonias; in Numeris, augustam tuam in tantis populi castris magnificentiam; in Deuteronomio fervorem tuum circa populi salutem, amorem et zelum. Spectavimus veterem Ecclesiam et reipublicam in populo à te electo institutam. Audivimus legis æternæ tuæ rivulos, præcepta tua sancta, moralia, judicialia et ceremonialia. Laudent te cœlum, terra, mare et omnia quæ in eis sunt; laudent te, et benedicant nomen sanctum tuum in secula. Da, Domine, ut in his omnibus agnoscamus, et intueamur te, revereamur te, colamus et amemus te ex toto corde, ex totâ animâ, et ex totâ fortitudine nostrâ. Da, ut in his omnibus adumbratum et depictum speculemur Unigenitum tuum, Christum Dominum, Salvatorem nostrum. Da quoque, ut eundem agnoscat Israel, populus olim à te electus, nunc derelictus et aberrans. Salva, Domine reliquias Israel; ipsi enim sunt filii Abraham secundum carnem; ipsi sunt cognati tui, cognati Apostolorum. Aufer ab eis velamen litteræ, et carnalium ceremoniarum, quod positum est super cor eorum, à diebus Moisis et Messia; ut in eis legant et videant spiritum, et mysteria Christi tui recondita: hæc est enim

vita æterna, ut cognoscat te solum verum Deum, et quem misisti, Jesum Christum. Da denique, ut hic commentarius tuæ gloriæ, et Mosi tuo illustrando serviat, ut quicumque hæc legunt, et Pentateuchi, et Christi in eo figurati, et tuæ majestatis, quasi auctoris omnium, clariorum cognitionem nanciscantur, indeque ad majorem tui amorem, reverentiam et cultum incitentur. Fave hisce votis meis, S. Dei Genitrix, Virgo Maria; effice apud benedictam Filium tuum, ut eorum compos fiam. Tibi enim, ut matri meæ, omniumque quæ mea sunt, secundum hunc factum meum, æquè ac primum refero et

offero: tibi Mosen hunc meum, æquè ac Paulum, dico, trado, consecro. Tuus enim est, non meus; tibi gloria, mihi autem confusio faciei meæ. Maria, mater Dei, memento mei, nunc, et in hora mortis. Da denique, ut hæc scripta, hi apices singuli laudent te, tuumque benedictum Filium cum Patre et Spiritu sancto; laudent, inquam, et hoc seculo, et futuris omnibus, cunctosque hæc lecturos ad jugem ejus laudem invitent; atque me mortuo perennem ejus gloriam loquantur, et testentur universis æternam et immensum ejus laudandi et glorificandi desiderium. Amen.

IN NUMEROS

Dissertatio.

Hebræum hujus libri nomen ex primis verbis in textu fortè occurrentibus repetitum est: *Vaidaber* Alii inter Judæos ex quinto ejusdem textus verbo appellant *Bemiddebar*, faciliè quod historiam rerum gestarum in itinere per desertum spatio 39 annorum contineat. Apud Græcos *Aritiani*, et Latinos inscribitur *Numeri*, quod scilicet priora libri capita censum populi et Levitarum referant.

Perfecto jam et consecrato tabernaculo, Moyses jussus à Deo censum populi habuit (Num. 1 et 2, et 5, et 4); singule tribus singillatim cense site sunt; omnium postrema et seorsum tribus Levi. Cùm autem propediem iter in Chanaanitidem maturandum esset, Moyses regulas in castrametationibus, et in itinere inter singulas tribus servandas, sicut etiam cujusque familiæ Levitiæ munera, direxit. Succedunt in quinto, sexto, octavo et nono capite peculiares leges quàm plurimæ, ut de iis quos contracta aliqua legalis macula extra castra amandabat; de aquis zelotypiæ, de Nazareis. Descripta simul leguntur munera à singulis tribuum principibus tabernaculo post ejus erectionem oblata; sicut etiam nonnulla repetuntur de partibus tabernaculi, sacerdotum consecratione, et festo Paschatis. Quod tandem signum movenda atque figenda castra ediceret, in iisdem capitibus præseribitur. Castra igitur è Sinai mota sunt (cap. 10, 11) die vigesima secundi mensis anni secundi post egressum ex Ægypto. Eâ occasione Jethro, qui paulo ante supervenerat in castra, frustra rogari se à Moysse passus, patriam repetiit, filio tamen Hobab cum seculo relicto. Tridui itinere in Pha-

ran exercitus venerat, cùm et via tædio (cap. 11) et manne fastidio, fessæ in murmur abire turbae coeperunt. Brevi tamen excitato divinitus incendio, quo pars castrorum assumpta, repressa seditio est. Tum Deus coturnacis cupientibus carnes suppeditavit; vixque optatis escis pastos immissa subito plaga quamplures exterminavit. Hinc nomen loco inditum: *Sepulcra concupiscentiæ*. Hæc occasione Deus 70 seniores ex universo populo, Spiritus sui illapsu selectos, adjuutores Moysi in regimine Israelitarum dedit.

Redierat paulo ante ad virum Sephora Moysis uxor (cap. 12), quam non rectis oculis aspicientes Aaron et Maria, nescio quid adversus Moysen oblocuti sunt. Deus rem tulit indignè; quare immissa in Mariam lepra septem dierum spatio è castris exulare coegit.

Motis tandem castris è Sepulcra concupiscentiæ populus venit in Cadesbarne, unde missi à Moysse in Chanaanitidem exploratores (cap. 13 et 14). Illi ad castra regressi expeditionis discrimen et difficultatem adeò exaggerarunt, ut territus populus in seditionem abiiret. Hunc motum comperere, æquiora narrantes, frustra Josue et Caleb, ambo è numero exploratorum, conati sunt. Quare Deus resumpto iterum flagello, seditiosos dispersurus omnes videbatur, nisi Moyses precibus suis intercessisset. Audita hæc Dei indignatione populus, seditione pacatâ, Dominum rogare, petere insuper ut in hostes duceretur. Serò tamen preces; prolata enim jam à Deo sententia omnes oppetenda in deserto morte spatio 40 annorum, quò errabundi per solitudinem decem-

endi erant, damnati sunt. Audaces quidem aliqui per angustias aditum tentarunt in Chanaanitidem; sed ab incolis, loca superiora occupantibus, pulsati, iter vertere coacti sunt. Spe igitur frustratus populus diurnam in Cadesbarne moram traxit; ubi sumptum credimus lapidationis supplicium de viro violatae religionis sabbati, in lignis colligentis reo (cap. 15).

Erratum est diutius a populo in montibus Seir, variarumque in eo itinere mansionum nomina a Moysae accuratè recensentur (Num. 33). Namque è Cadesbarne ventum est in Hazerot; succedunt deinde ordine Rechma, Remmon, Pharez, Leha, Bessa, Geelathia, mons Sepher, Adar vel Arad, Maeclot, Tathath, Thare, Metcha, Hesmona, Moserot, Benejacan, Gadad, Jetebata, Hebrona, Elat, Ašiongaber, Cadesbarne iterum, Mozera, Salmona, Plunon, Obot, Jebarim, Torrens, Zared, Matbana, Nahaliel, Bamoth Arnon in finibus Moab et ditionis Sehon. Dum castra haberentur ad Jetebata, uti faciliè credimus, Core, Dathan et Abiron collatas Moysi et Aaroni supremas reipublice dignitates gravitè ferentes, populi seditionem concitârunt, quam statim sumpta de auctoribus gravissima poena excepit. Hiscens enim subito terra Core ejusque socios absorbit; tum et delapso exiliis igne ad 14700 virorum absorpti sunt. Neque hic prodigiorum finis, sed Deus quò Aaronis sacerdotium ratum etiam atque etiam maneret (cap. 47), jussit virgam ejus in tabernaculo unâ cum cæteris principum singularum tribuum deponi, quam deinde manè alterius diei solam virentem et floribus ornatam exhibuit. Hæc 59 annorum spatium, quo Israelitæ per desertum errârunt; traditis antea legibus, ad religionem, sacerdotes et politiam spectantes nonnullæ adjectæ sunt, de quibus in cap. 18 et 19.

In secundâ castrametatione ad Cades, Maria soror Moysi decessit (cap. 20). Ibi etiam penuria aquarum laborans populus murmur in duces excitavit; quare Deus jussit Moysen silicem percutere, è quâ statim aquæ erupissent. Ille indignatione in populum tam insipienter infidelem commotus, de fide prodigii aliquantò subdubitare silicem percutiens, visus est. Culpam poena secuta est; namque et extra terram promissionis obeundum ipsi, et extra flum sepulcrum ferendum, eo uno de crimine fuit. Mox Aaron in castrametatione ad Mozera in monte Hor, in finibus Idumæe diem clausit.

Sub hæc Moyses regem Idumæe per nun-

tios rogaverat, ut liberum per regionem suam transitum in Chanaanitidem Hebræis faceret. Eo recusante, circumduci exercitum, ut ab altero latere aditus tentaretur, oportuit. Euntibus Arad rex Chanaanæus hostis occurrit, commissæque prælio, inclinare primùm Israelite, deinde resumptis viribus plenam de hostibus victoriam retulerunt; redactaque in potestatem regio, anathemati subjecta est (c. 21).

Hujus victoriae lætitiarum luctus excepit; nam pro insità gentis indole ad murmur reversi Israelite, immissis subito in castra serpentibus immedicabili morsu afflicti sunt. Salutare fuit æneum anguis simulacrum, quod in hastâ jessu Moysi erectum sanitatem respicientibus restituebat. Hæc in castris ad Salmona contigisse creduntur.

Cum ad torrentem Arnon pervenissent, rursum tentando in Chanaanitidem transitu per regionem Amorrhæorum, nuntii ad Sehon, regem ejusdem gentis, missi sunt. Ille non recusavit tantum, sed exercitum in Hebræos duxit. Victoria Israelitis stetit, atque victoriam pretium regnum fuit. Commisum est etiam alterum prælium cum Og rege Basan, eodem successu. Interim rex Moab, ne quid simile sibi contingeret metuens (quod et ipse transitum Israelitis negaverat) Balaam celebratissimum præstigiatorum è Mesopotamiâ accivit (cap. 22, 23). Sed ille veniens pro maledicta fausta omnia in populum apprecari coactus est.

Magus hæc sibi invito accidisse, simulque et itineris labore, et expectatione præmiorum, que sibi à rege Moab sperare poterat, frustratum se dolens, perniciosum in Israelitas, qua et regem ipsum, atque in se tandem malum auctorem consilium eidem regi suggestit. Persuasit enim, ut missis ex Madian et Moab in castra hostium puellis, ad idololatriam illos et scortationem pelliceret. Res pro voto successisset, nisi giscens jam inter Hebræos malum Levitarum zelus in eadem scortantium irruens repressisset. Eâ occasione ad 24000 virorum trucidata sunt (cap. 25). Jussit deinde Deus bellum inferri Madianitis, quod tamen usque post peractum non diu post populi censum (cap. 26) dilatatum est. Constituta etiam a Moysae leges pro dirigendâ hereditate puellarum, que patre sine maribus decedente, in bona paterna successissent, quemadmodum et puella Salphaad tunc accidisse constabat. Constituta quædam pro festis sacris, votis, etc.

Tandem ad prælium cum Madianitis, quod

postremum fuit omnium sub Moysae gestorum, processum. Ex hostibus nemo, qui in potestatem Hebræorum veniret, servatus est, exceptis puellis inuuptis; eodemque cum cæteris fato Balaam sublatas. Tota regio inter tribus Ruben, Gad et dimidiam Manasse distributa; quæ tamen conditione, ut fratribus suis in expeditione Chanaanitidis suppetias latari venirent, cap. 51.

Cum Moyses denegari sibi à Deo Jordanis transitum comperit novisset, divisioni Chanaanitidis, latis edictis, antea providit; addito simul mandato tum ut nemini Chanaanæorum parceretur, cum ut sors de singulis portionibus distribuendæ regionis decerneret. Jussit insuper separari urbes in Levitarum sedem, ex quibus aliquæ jure asyli pro iis qui imprudenter hominem interemissent, sacra haberentur. Interdicta tandem connubia illa, quibus distributiones agrorum per singulas tribus turbarentur. Hæc libri Numerorum summa.

Hunc librum digestum à Moysae credunt sub vitæ suæ exitum, ex ephemeridibus à se antea pro datâ occasione scriptis.

Animadversiones

IN VERSICULOS 15-16 CAP. 21 NUMER., UBI MENTIO FIT DE libro Bellorum Domini.

In suâ libri Numerorum analysi abbas de Vence notationem inserit quam illic referendam duximus. Quæ spectat ad hæc verba capituli 21, v. 44 et 47, ubi legitur juxta Vulgatam: *Unde dicitur in libro Bellorum Domini: Faciet in torrentibus Arnon sicut fecit in mari Rubro. Scopuli torrentium inclinati sunt, ut requiescerent in Ar et recumberent in finibus Moabitaram.* De quo abb. de Vence sic loquitur:

« Hic Vulgata quendam indicat librum Bellorum Domini in quo scriptum est: Dominus faciet in torrentibus Arnon sicut fecit in mari Rubro. Scopuli torrentium inclinati sunt, ut requiescerent in Ar et recumberent in finibus Moabitaram. Quis est autem ille liber Bellorum Domini? quæ certa illorum verborum interpretatio: *Faciet in torrentibus Arnon sicut fecit in mari Rubro?*

« Putat sanctus Augustinus librum de quo mentio fit in hoc loco esse in quo populi illarum regionum incolæ historiam suæ gentis retulerant, et in hoc libro mentionem fieri de bello quod fecit populus Dei cum eis; juxta eundem patrem hoc bellum ad eò grave fuerat, ut ei nomen fuerit inditum *Bellorum Domini*, cui superaddita sunt cætera prælia quæ coacti sunt Israelitæ cum suis inimicis inire. Aliqui

novi interpretes hunc librum putant esse eundem in quo hæc verba referuntur, scilicet librum Numerorum; quin etiam alii adjuicunt librum Josue et librum Judicum. Inde sequetur versiculum textui superadditum esse post Moysen. Alii verò interpretes arbitrantur sanctum hunc legislatorem scripsisse, vel scribi jussisse commentarios omnium rerum quæ accidebant Israelitis, et eum ad istos commentarios remittere qui vellent planius cognoscere omnes factorum circumstantias quas non potuit illic referre.

« Juxta sancti Augustini opinionem supponendum est hic citari profanum auctorem à scriptore sacro, quod nullam præbet difficultatem, cum videmus sanctum Paulum in Epistolâ ad Titum carmen Epimenidis poetæ Cretensis gentilitis ad definiendos mores hujusce gentis. Aibi etiam sanctus idem Apostolus testimonio utitur Arati poetæ profani. In suâ Epistolâ sanctus Apostolus Judas obiter alludit ad id quod scriptum est in libro cui nomen est *Henochus*; sub hoc nomine tamen solummodò cognoscitur incertum opus. Hæc testimonia talibus scriptis nullam dat auctoritatem; verba autem quæ auctores divinitus allati ex illis referunt, Scripturarum sacrarum partes sunt.

« Una ergo in sententiâ sancti Augustini manet adhuc difficultas; parum enim probabile est, in spatio temporis quod ex illo eventu usque ad mortem Moysi elapsus est, scriptores illarum nationum librum Bellorum Domini componere potuisse, et scriptorem sacrum de istis bellis mentionem facere. Bellum de quo agitur in capite 21 Numerorum gestum est primis mensibus anni 40 post egressum ex Ægypto, et mortuus est sanctus legislator sub finem ejusdem anni.

« Aliæ novorum criticorum sententiæ ferè omnes supponunt locum ubi mentio fit de libro Bellorum Domini superadditum fuisse textui Scripturarum post Moysen; itaque discernere difficile est talia addita in Pentateuchum.

« Qui dicunt librum Numerorum ipsammet esse ad quem auctor nos remittit, rem proferunt quæ sano sensui parum conveniunt; in hæc enim hypothese locus citatus minime distingueretur à loco in quo refertur ipsammet factum.

« Ergo rerum naturæ magis conforme est dicere hic alludi ad bella Domini qualia vulgò narrabantur, et tunc verba textus originalis simpliciter traduci debent: « Dicitur in narratione Bellorum Domini, non autem ut traducunt novi interpretes: *Scriptum est in libro*

Bellorum Domini. Vox enim hebraica עַר librum non semper significat, sed etiam narrationem, recessionem, expositionem (1).

Et sic traducta prima pars versiculi 14 significaret verba sequentia, quae quidem difficulta sunt intellectu, contineri in narratione istorum bellorum qualis tunc vivebat.

Juxta Vulgatam nostram legitur in hoc libro vel in hac narratione: *Dominus facit in torrentibus Arnon, sicut fecit in mari Rubro.* Haec verba prophetiam magis redolent quam narrationem, et potius videntur polliceri prodigium simile prodigio quod factum est in mari Rubro, quam enarrare factum jam praeteritum. Ad confirmandum sensum quem haec verba praebent, dicendum esset, per torrentem Arnon divisum Israelitis transisse sicut per assuetum iter, quemadmodum mare Rubrum, aquis divisus, jam iter expulitum dederat populo Dei.

Quod si ad textum hebraicum recurramus ad explanandam hanc difficultatem, tantum in eo reperimus obscuritatem, ut ferè omnes interpretes fateantur textum corruptum fuisse negligentia librariorum. Vox *vahab*, וַהַב , nullam dat significationem, et idcirco tentatum est illius loco aliam vocem substituere. Alii dicunt legendum esse *zared*, זָרֵד , et in hoc sensu interpretantur, scilicet Israelitis torrentem *Zared*, transisse, aut castra juxta posuisse; alii verò contendunt legendum esse *bra*, בְּרָא , et hoc supposito vocem explicant, Selon pugnavisse adversus Moab propè Supha.

Ideo autem conjecturandi locus est in explicatione hujusce loci, quia phrasid tota in textu originali videtur carere verbo propriè dicto: itaque aliqui in locum vocis וַהַב , verbum propriè dictum substituerunt, perinde ac si scriptum esset וַהַבְתִּי , *dedit*, vel וַהַבְתִּי , *fecit*, aut potius וַהַבְתִּי putaverunt deductum è verbo chaldaico וַהַב , *dedit*, et hoc modo interpretantur totam phrasim: « Fecit, vel excitavit turbinem in torrentibus Arnon. » Sed impossibile est credere וַהַב esse verbum propriè dictum, quia fert secum prepositionem עַר , *eth*, quae vocabula tantum comitatur.

(1) Imò abbas de Venice adjicere potuisset voce hebraea סֵפֶר librum nòmisi extensivè appellari, et quia liber narratio est vel enumeratio. Etenim à סֵפֶר , *narrare, enumerare*, deducitur סֵפֶר , quod propriè narrationem, enumerationem, et extensivè librum significat. Neque verò sensum priorem idèò amittit: sic Genesios cap. 5, v. 1, in Vulgata legere est: *Hic est liber generationis Adam*, quod ex hebraeo litteraliter verti potest: *Hic est narratio vel enumeratio generationis Adam.*

Juxta meam sententiam, additabb. de Venice, mutando, litteram ו in litteram י , quod sepe reperitur in textu hebraico ob magnam earum similitudinem (1), interpretatio satis verisimilis dari poterat huic loco, qualis nunc legitur in originali; sic pro וַהַב dicere liceret וַיַּב , quod significat pondus gravissimum, afflictionem, moerorem, et hoc modo traducere: Quemadmodùm morer vel pondus est in turbine, sic fuit in torrentibus Arnon, ad demonstrandum populos qui cum Israelitis pugnaverunt ad torrentem hunc obrutos fuisse sicut turbine, et prostratos fuisse protectione quam Dominus populo suo tribuit.

In illà explicatione tenemur tantum supplere verbum esse quod faciliè subauditur in omnibus linguis, et vocem *supha* (2) intelligere in sensu appellativo.

Qui narratant bella Domini, superaddentes dicebant, *scopulos torrentium inclinatios fuisse ut requiescerent in Ar, et recumberent in finibus Mo-*

(1) Inventus est anno 1747, in museo comitis de Ponchartrain, Pentateuchus hebraicus antiquissimus et manuscriptus, convolutus vituli pellibus inscriptus, duos pedes altis, centum circiter longis. Notari in plurimis locis poterat quà curà hujus manuscripti menda correctà fuerant: in textu citato, ex medià litterà ו , orichelatur lineamentum debilitata expressum atramento, simillimè referente atramento quo superscripta erant puncta litteris, quasi tentavissent ex eà litterà efficiendum י ; librario Joanni Boulod, qui indicem horum librorum ordinabat, ut notà dignum illud designatum est, et de eo mentio facta est in notitià quam in hunc Pentateuchum scripsit.

(2) Non tanta simplicitas, facilitasque inest huic interpretationi, quantum inesse creditur abbas de Venice. Ut sic foret, oporteret in hebraico textu inveniri: *Sicut omnis est in turbine, ita et in torrentibus Arnon;* verum non sic scriptum est: siquidem, 1^o nec *sicut*, nec *ita*, in hebraico sunt: fatemur ex ingenio lingue hebraicae has particulas subaudiri posse, aut potius solam conjunctionem ו , et, earum locum obtinere; aliquoties pro ו utimitur; sed 2^o *omnis* non nominativo sed accusativo casu accipitur, siquidem prepositionem עַר , quae hunc determinat casum, praese habet; 3^o vox *torrentes* etiam accusativi est casus, eadem litem precedente prepositione; ita ut, si lectioni assentiamur ab abbate de Venice proposita, sola hinc supererit haec phrasid: *Propterea dicitur in enarratione bellorum Domini: apud omnes turbines ut apud torrentes Arnon.* Subauditur vox *fuit*, nihilque acceptius in hebraico stylo hae subauditione. Sic ergo verti latine posset: « Ideoque in enarratione bellorum Domini dicitur, torrentes Arnon fuisse quasi turbinem onerosum inimicis Israel. » Illud non longè aberrat à sensu quem adoptat abbas de Venice, aut potius per ipsam interpretationis sequentiam id confirmabitur.

bitarum. Juxta textum hebraicum liceret traducere fluentia (vel effusionem) torrentium inclinata fuisse, cum diffunderentur et requiescerent in urbe Ar. Si hoc de scopulis intelligitur, tum sanè dicendum erit protectionem Dei in hoc apparuisse super populum suum, quòd scopuli, in quibus Arnon fontem habet, exsoluti sint ad obruendos inimicos Israelitarum; sed vox hebraica עַר non significat scopulum, sed *effusivum, declivitatem*, et juxta illam interpretationem dicendum erit aquas torrentis Arnon effusas fuisse cum impetu ad dissipandos hostes Israel et constitisse tantum ad urbem Ar (1).

Alii interpretes confiteri nolentes hic ultimum esse argumentum potentiae Dei, dicunt verba versiculi 15 nihil aliud indicare, nisi Israelitas castra posuisse juxta fluentia torrentium quae inclinatur vel extenduntur usque ad Ar, et terminantur ad fines Moab. Sed si Moyses enarrare tantum voluisset castrorum metationem Israelitarum, supervacaneum illi fuisset, ut videtur, mentionem facere de libro, vel de narratione bellorum Domini.

Sic de Venice loquitur. Ad confirmandum sensum hic superius expositum, adhuc probandum esset, ideam similitudinis quae in hac phrasid non exprimitur, posse subaudiri, et hujuscemodi exemplum habemus in versiculo 14 psalmi 21 in quo textus hebraicus fert ad litteram: *Aperuerunt super me os suum, leo rapiens et rugiens.* Hoc modo, textus dat subaudiendam ideam similitudinis in Vulgata expressam: *Aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens et rugiens;* hujuscemodi aliud adhuc habemus exemplum apud Isaiam versiculo 10 capitis 10 in quo

(1) Imò esse ipsam sensum praecedentis versiculi interpretati sumus: « Torrentes Arnon fluere quasi turbo onerosus inimicis Israel. » In hoc consonat etiam ultimi versiculi structura. Nam ex hebraico sic exprimi possunt hi duo versiculi: Propterea dicitur in enarratione bellorum Domini: omnis in turbine et torrentes Arnon et decursus torrentium, qui declinat ad requiescendum in Ar, aut potius ad habitationem Ar, et incumbit in finibus Moab; quod sic interpretari licet: propterea in enarratione bellorum Domini dicitur quasi turbinem onerosissimum fuisse torrentes Arnon, talem fuisse impetum torrentium quorum unde inclinaverunt in Ar, requieverunt in finibus Moab. Fuit ergo torrentium Arnon impetus, ut turbo onerosus hostibus Israel. Illud ex lectione proposita ab abbate de Venice oritur.

textus hebraicus fert ad litteram: *Quomodo invenit manus mea regna idoli, et simulacra eorum de Samaria.* In illà phrasid duae sunt comparationes, altera inter primum et secundum membrum, et sic in Vulgata traducta: *Quomodo invenit manus mea regna idoli, sic et simulacra eorum de Jerusalem et de Samaria;* id est: « Quemadmodum brachium meum destruxit regna quae colunt idola, ita auferam status quae adorantur in Jerusalem, sicut status quae adorantur in Samaria. » Et haec est secunda comparatio in secundo membro inclusa; nam Assyrius est qui loquitur et minatur non primùm eversionem Jerusalem et postea Samariae, sed minatur destruere Jerusalem, sicut destruxit Samariam. Verumenimverò, quis me impedit, ait adhuc, tractare Jerusalem cum Diis quos voretur, sicut Samariam tractavi cum illius idolis? *Namquid non sicut feci Samariam et idolis ejus, sic faciam Jerusalem et simulacris ejus?* Igitur in uno textu duae phrasid reperuntur in quibus idea similitudinis subauditur: *Quomodo invenit manus mea regna idoli, et simulacra eorum de Jerusalem et de Samaria, scilicet: Quomodo invenit manus mea regna idoli, sic et simulacra eorum de Jerusalem, et (id est, sicut) de Samaria.* Itaque haec phrasid, omnis in turbine, et torrentes Arnon, planè significare potest, *apud omnes turbines, sicut apud torrentes Arnon* vel quod idem est: *Sicut apud omnes quod est in turbine, sic fuit apud torrentes Arnon.*

Probandum adhuc esset in lingua sancta particulam עַר , *eth*, quae hic regit omnes et torrentes, subsistere posse sine ullo verbo propriè dicto expresso, et hujusce rei exemplum quidem habemus in psalmo 85, versiculo 4: *Etiam passer invenit sibi domum, et tartar vidit sibi, ubi ponat pullos suos: altaria tua, Domine virtutum, rex meus et Deus meus.* Illa pars ultima manet suspensa, *altaria tua*, regitur prepositione עַר , *eth*. Hanc enim prepositionem accusativus non semper sequitur, et licet illam interpretari in multis aliis sensibus, scilicet *ad, apud, circa, de;* ita traducere liceret: *ad altaria tua, Domine virtutum, subaudiendo, est desiderium meum;* et hoc modo possunt interpretari traducere: *Apud omnes quod est in turbine et apud torrentes Arnon;* scilicet, sicut est *de onere quod est in turbine, sic fuit et de torrentibus Arnon.*